

ream maiestatem proficiscerentur petentes a Vestra Maiestate ut fratrem a talibus cohiberet: offerentes nos ad omnia iusta et aequa et ad causam regni (quod nemo unquam fortasse regum fecit, praesertim regnum libere in manibus habens prout nos habebamus) cuiuscumque christiani principis arbitrio et iudicio submittendum, non recusantes etiam iudicium Vestrae Maiestatis. Interim adfertur ad nos oratores illos, cum ad dominia eius pervenissent, contra omne jus et aequum contra inducias, quae nobis tunc cum illo erant, iussu eius detentos; quos dies detentos et vexatos iure omnium gentium, etiam barbararum, foede violato, aegre tandem retrocedere permisit. Nos tamen hac insigni injuria ab eo affecti non cessavimus nihilominus omnia ea agere, quae ad pacem inter nos et illum pertinerent, serenissimo potissimum domino rege Poloniae, affine et patre nostro, pacem inter nos procurante, cuius rei gratia conventus etiam fuit habitus Holomueii in civitate marchionatus nostri Moraviae, ubi nos ad omnia quaecumque idem serenissimus rex Poloniae et commissarii eius aequa esse iudicassent, obtulimus. Sed frater Vestrae Maiestatis, conscius, sine dubio, sibi, se nihil iuris in regno nostro habere, omnia iusta et aequa subterfugit. Ita, re infecta, cum illinc fuisset discessum, armis iniustissimis est aggressus, nos de regno legitime adepti, et ad quod illi nullum ius competeat confisus potissimum, in quorundam subditorum nostrorum, qui tamen pauci sunt, (quibus nos summam rei nostrae permiseramus et in quos omnia summa beneficia congesseramus) prodicione, quos ille non satis honestis rationibus ad se attraxerat, ita et nos gravissimis damnis, et iniuriis affecit, et faxit dominus Deus, ne rempublicam christianam in tale discrimine coniecerit, unde difficile sit eam liberari. Nam quid fuit aliud auxilia contra nos mendicando spargere expeditionem contra turcam, et litteris et nunciis in omnes partes etiam turcae vicinas et nostris hungaris redemptionem . . . tam gloriose polliceri, quam provocare principem omnium potentissimum, qui hos non existimavit esse iocos et fraudes contra nos confectas. Unde verisimile est eum ita rebus suis provisurum vel iam providisse, ne ab ipso Vestrae Maiestatis frater opprimatur inter oscitantes, illud Maiestatem Vestram vix putamus ignorare. Fratrem eiusdem, licet hungaris nostris litteris suis forma publica excusis sua manu subscriptis, non solum per Hungariam, sed credimus per orbem terrarum circumlatis pollicitus sit, et quosdam fortasse ea etiam spe ad se traxerit Bel-

grad, et alia castra novissime amissa, se se recuperaturum. Nunc tamen laicezam arcem nobilissimam, regni Bosniae caput cum nonnullis aliis arcibus quod tam unicum erat Croaciae, Sclavoniae et Hungariae inferioris ac Germaniae propugnaculum, superioribus mensibus amisisse, egregium sane et dignum ingentibus coeptis regnandi principium; vero quod ad nos attinet, scimus tam divino quam humano iure concessam esse cuique sui iusta defensionem, certa sit Vestra Maiestas nos nihil penitus omissuros quicquid pro defensione nostra facere poterimus; si quid ex hoc vel detrimenti vel discriminis in rempublicam christianam redundaverit protestamur, coram Deo et Vestra Caesarea Maiestate (sicut coram aliis principibus christianis iam, non semel summus protestati) non nos fore in culpa, qui omnia extrema passi sumus, dummodo sanguini christiano parceretur, et haec pericula a republica christiana amolirentur. Sed illum qui praeceps in omnia fertur, quaecumque animo eius insaciabili collibuerunt, nullam neque iustitiae, neque publicae salutis rationem habens, quid de Vestra Maiestate dicamus, cui frater a talibus et tam iniustis, et temerariis ausis (ut profertur) cohibendus erat, quem nos incitatum potius ad haec a Vestra Maiestate intelligimus? Optamus bene valere Vestram Maiestatem, et in posterum reipublicae christianae simul cum fratre melius consulere, et maiorem aequitatis rationem habere.

Ex Tharnovia, vigesima secunda die mensis maii, anno domini 1528; regnorum vero nostrorum praedictorum anno secundo.

*Traduzion di una copia di lettere de la Cesa- 266
rea Maestà, venute a li 6 del presente mexe
di Maggio 1529, nel reverendo domino Sil-
vestro Dario.*

Conseglì, comunitate, iurati cavalieri et gentihomeni di le ville et luogi de la nostra molto nobile et leal provintia de Ipusca. A tutti è notorio quanto io ho desiato la pace universal de la christianitate, et quello che in essa ho procurato et travagliato. Et benchè son venuto a li mezi che sapete, de liberar el re di Franza et altre iustificazion che mi son state poco utile, non ha bastato per effectuar ditta pace, anzi a la giornata è cresciuta la superbia de nostri inimici; et volendo il nostro signor Dio aiutar la causa nostra, per esser tanto justa, ne ha dato la vittoria, et ultimamente fu disfatto et deletto lo exercito che tenivano atorno alla